Te reparante redit patitur sors pallida laetum.
Uiuet post obitum discipuli pretio.
Agriculis iunctus coluisti germina uitae.
Nec serpens lolium pabula laeta tulit.
Qui dedit in medium quem lex iubet optima uictum.
Emittet renis fructibus ille polum.
Errorem mentis pressisti lege laborum.
Otia non passus uirtutibus uberis.

DE UENERABILI BENIGNO EPO

Exere quae posuit mens nomina certa benigne.
Quem quisquis uocitat testis erit meriti.
Cana fides hominem dum narrat detegit actus.
Nil loquitur casu pignoris adtonitus.
Prescia uenturi non erant uota parentum.
In uerum uertunt blanditias sobolum.
Ante patres censens sedit plaudente senatu.
Prelatum scis extulit ille caput.
Pollice sed diro ceu flos succisus aratro est.
Spes decus et genus de floribus cecidit.

DE BEATISSIMO UIRO SENATORE EPO

Tu lux certa tuis spes tu fidissima rerum.
Uatis apostolici tu theodore uigor.
Uirtutum cumulus substantia lucida ueri.
Monstrata ceruatis quem labor in studiis.
Prescius accinctus fortis tranquillus amicus.
Compositus simplex tu bonus et sapiens.
Fastidicus semper tibi conscia corda futuri.
Deprehensum fluxit te reserante malum.
Quem timuere feri calcantes culmina mundi.
Dilexit spernens dura supercilii.

Restat quem longo seruetis ex inclitus aeuo ∴

© Koninklijke Bibliotheek van België / Bibliothèque royale de Belgique
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/kbr_ms9845-48/0223